...dam Ignatius

...snensis

Cracoviensis Coll. S. Piar. Maiestas sacrorum
in solenni inauguratione.

MAJESTAS
SACRORUM
In Solenni Inauguratione.

Celsissimi, Illustrissimi & Reverendissimi
PRINCIPIS ac DOMINI,
D. ADAMI IGNATII
COMITIS à LIPTOW & ORAWA
KOMOROWSKI,
Archiepiscopi Metropolitani Gnesnensis, Legati Nati, Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ
PRIMATIS.

Primique Principis
ABBATIS perpetui Tynecensis, & Andrejoviensis COADIUTORIS
Panegyrico cultu Nomine *Scholarum Piarum*
à Collegio Cracoviensi
ADORATA.

Annô Domini M. DCC. XL. IX. *Die Mensis*

CRACOVIÆ.
Typis ROSALIÆ Viduæ Siarkowska.

In Avitum *Domûs* Insigne KORCZAK.



FLVMINA per *Rivos* ubi *Ter* volvuntur Avitos
Æmula Castalijs Phæbe Tuisque vadis;
Convenêre simul, consederuntque *Sorores*
Quævis & ex genio serta ferebat Aquis.
Florea Euterpa dabat, sunt hæc aptissima dicens
FONTIBVS his *Patriæ* victima multa venit:
Calliopa ast *Oleam*, *Laurum* sed Clio parabat
Hæc Titulos *Martis*, *Pacis* at illa decus.
Denique Cœlestis nectebat Vrania *Stellas*:
Astra quot hinc *Aris* enituêre Sacris
Rem dirimit panditque adytis *Cortina* reclusis
Fluminibus PRIMAS Ipse *Corona* Suis.

DEDICATORIA
CELSISSIME
PRIMAS
PRINCEPS
CLEMENTISSIME.

QVemadmodum maxima rerum est Virtus, ita nihil est quod ad illius præstantiam, sublimitatemq; propiùs accedere debeat, quàm laus virtutis, & par Oratio rectegestis. Ex hoc facile quilibet angustias nostras intelliget, qui Literarum audaciâ Majestatem illam Laudum TVARVM adire præsumimus, cùm nec Styli, nec ingenij nobis insit tanta facultas, aut dignitas, quam ad præconiorum TVORVM ministerium condignè admovere valeamus, meritorumq; immortalitati, pro

 ampli-

amplitudine & magnificentiâ eorum consecrare. TVA enim rectegesta quoties eorum Laudatio suscipitur, & de actu in Verba transeunt Oratorum, plurimum Splendoris, ac speciei Suæ deperdunt; Nullius quippe est tanta vis ubertasque eloquij, quæ Vniversas Laudes TVAS consequi possit, vel complecti. Itaque hujus tenuitatis Nostræ conscij, inseremus sacris gloriæ TVÆ pulvinaribus non divitis opulentiam svadæ, sed è paupere Musarum Nostrarum supellectili, grande Amoris, & obsequij pignus, Dignitate argumenti, TE IPSO scilicet nobilitatum; freti Animi TVI magnitudine solâ, Amplissimoque clementiæ sinu; quo in morem Oceani tam ingentia flumina, quam & minores rivulorum aquas admittere non dedignaberis

Celsitudinis TVÆ Primatialis

Humillimi Clientes

Devotissimi Exoratores

Collegij Cracoviensis

Clerici Regulares *Scholarum Piarum.*

PANEGYRICUS.

AGe feliciter CELSISSIME PRINCEPS annum ineuntem, Patriæ TIBIQVE auſpicatiſsimum, Solennibus Pontificatûs TUI per Univerſam Poloniam Magnumquè Ducatum Lithvaniæ Primitijs Conſecratum. Inſere Sacratum verticem Archi-Præſuleæ Mitræ, in cujus Coronamentum tot laboraverunt Annorum Luſtra, donec parem ad menſuram meritorum offerrent Coronam. Occupa PRIMATIALE Primus á Rege Solium, illâque Majeſtate ſpectabilis vacantem VICE-REGIAM imple Sedem, quâ Rex Sacrorum Orbi Sarmatico præſideas, Omnium quà latepatet Polonia Eccleſiarum Sollicitudinem geſturus. Renaſcere fauſto omine Ampliſsimo munere Sedis Apoſtolicæ LEGATUS NATUS, illamque in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ Primi ſummique Principatûs arcem obtine, qua publico avitoque Gentis totius more, PRIMAS PRIMUSQVE PRINCEPS celebraris. Indue Sacros illo Purpuræ Honore lacertos, quam PRIMATIALI TUÆ in Republica Dignitati Eminentiſsimæ ac meritis, Sacra Regia AUGUSTI III. efflagitavit *MAJESTAS*, *Vaticana* ultrô decrevit Poteſtas.

Et ut inde Ordinem ſumat Oratio, unde Principatûs ſuſcepti primordia auſpicatò Nactus es; *Sereniſſimo* ac *Potentiſſimo* Poloniarum Regi AUGUSTO III. Gratiæ immortales diuturnumq; ſit Imperium, ac fœlix, quod quàm primùm poſt Sanctiſsimi Senis Prædeceſſoris TUI deceſſum, *Sedes* hæc *Gneſnenſis* Suprema,

 nec

nec non reliquarum in Regno Sedium Antesignana vacavit, orbitatem illius solari non distulit, Sacratissimo Nominationis Suæ oraculo ad TE converso. Plus ne gloriæ TIBI inde accesserit, an gratiæ singularis? non facile pronuntiaverim. Ad gratiam certè spectat, quod repetitis jam antehâc vicibus Pontificios TIBI AUGUSTUS adscripserit Honores: sed abnuente modestiâ TUA, meruerunt tunc Virtutes TUÆ, ut recusatarum Infularum laude insignirentur. Ad gloriam verò pertinet singularem, quod cum essent plurimi, qui moderationem illam damnabant TUAM, quâ conspirantibus cum voluntate PRINCIPIS Ecclesiæ votis, Optimum Optatissimumque PRÆSULEM Cathedris recusabas; obfuturum id ulteriori apud PRINCIPEM gratiæ suspicabantur, aliter secutus docuit eventus. Infularum enim deprecatione id consecutus es, ut dignior judicio PRINCIPIS habereris. Incaluit tergiversatione illâ modestiæ TUÆ Bonitas PRINCIPIS non refrixit, dilata tunc fuit prona in TE Majestatis voluntas, non ablata. Acsi ità reputaret intra semetipsum Optimus PRINCEPS: *Quam exigua & infra merita Huic est votorum mensura! præstolari post Omnes, quod præ reliquis meruisset; imo Unus hic est qui mereri contentus ultrà præstolatur nihil, quin & sponte occurentibus præmijs renuntiat. Hæc agendi ratio muneraque deprecandi stylus si apud Aulam porro invalescet, ad novum & insolitum Aures Regias consuescere oportebit tenorem: quæ hactenus importunis diversæ precantium postulantiumque precibus non nisi fatigari didicerunt. Sed enim donetur Ille hâc vice modestiæ Suæ, brevi meæ restituendus æquitati.* Tale AUGUSTI de TE judicium non ego ad Gloriam TUAM solummodo, sed ad ipsam Famæ TUÆ immortalitatem spectare arbitrabor. AUGUSTI inquam III. *Quem Principem rebus Nostris Divinitùs contigisse credimus, Imperij sui &*

longa

longa Populorum vota exæquantem, Justum, Inconcussum, Munificum, Virtutique per omnia Simillimum. Quo Regnante revocata in forum integritas, restituta Legibus reverentia, omnibus æquitatis, industriæ, laudis amor incussus, aut imperata necessitas Probitatis. Sub cujus Sceptro vivere libet, natum esse non pœnitet. Cujus Augustam Mentem, & numerosâ Gloriâ Excelsum Animum externa etiam Ornamenta commendant. Proceritas Corporis, & Dignitas speciei summa, robur virium intactum, & Temperantiâ Custode duraturum, Vultûs illa Majestas, qualem artis suæ studio Colorum periti Numinibus affingunt. Et quod Omnibus Natura & sortis muneribus præstat, Huic Sacro Fœdere connubij Sociata AUGUSTISSIMA MARIA JOSEPHA Austriacarum Dearum Sacerrima, cujus Gentis Numen Toti formidatum Europæ, Poloniæ Sceptris & venerationi cœlitùs redditum, restitutâ in se Austriacarum Reginarum à sæculis retroactis Majestate, ultrà mortalis cultûs Obsequia reverentiam sibi Sanctitate Conciliat. Talis tamque AUGUSTUS est *PRINCEPS*, qui ad TE magis Judicium quam favorem suum convertit, Dignissimumque censuit qui Regum vices Unus impleres. Tardiùs quidem comparatione aliorum, quos ad Infulas præire TIBI sivisti, sed cumulatiùs. Hæc sola modestia TUA, nisi obstitisset, pridem jam voto suo sanctioresi Mitræ potitæ fuissent, quod hodie demùm obtinuêre, ut Sacratissimo Vertici TUO insideant. Vive diu PRINCEPS! TVASQVE, ad fastigia Infularum moras, diuturna expiet felicitas. Merebantur virtutes TUÆ, ut cœlestibus indicijs Pontifex declarareris, sed visum magis est cœlo, TE AUGUSTI III. Oraculo designari. Cujus Numini Suprema Mens illa TE in hanc ætatem reservavit. Et verò Ecclesiæ PRINCIPES, non humanis affectibus, sed Divino consilio Suffragioque constitui, quando clarioribus certioribusque indicijs

 compro-

comprobatum fuit? quàm in Tuâ hâc CELSISSIME PRIMAS Assumptione. Si hominum affectibus & non Cœlesti Mentis Suæ Judicio obsequi maluisset AUGUSTUS; TE nondum haberemus. Sed Is qui Cor Regis in manu Suâ versat, Ipse edocuit quem sibi Pontificem ex hominibus assumpsisset. Calamitoso id quidem admodùm evenit tempore, quô iram suam offensum Terrigenis per multiplicia mala declarat cœlum, sed sic ad Mediolanensem *Carolus Borromæus*, sic ad Petri Sedem *Clementes* & *Innocentij* calamitate publicâ Populos urgente, Reconciliatores accesserunt. Non obscurâ Cælestis declaratione sententiæ, periturum id omne, quod tuendum non suscepisses, cunctaquæ calamitatibus fessa TIBI committi, felicitati meliorique Fortunæ TUIS restituenda auspicijs.

Sed patere PRINCEPS CELSISSIME Curiosam diligentiam ad ipsa incunabula ejus quâ hodie præfulges Majestatis convertere, & imprimis Sacros KOMOROVIÆ Gentis TUÆ introspicere fastos, & Vetustissimæ Nobilitatis Atria collustrare, unde se ista TUA evolvit Celsitudo: deinde teneræ, mox & adultæ Indolis TUÆ gloriosissima emetiri spacia, in quibus maturâ luce præsenti Principatui TUO virtus prolusit. Id jam aggredi præsumo, certè, non ingenij, non eloquij fretus potentiâ, quod tenue & aridum est: sed rerum dicendarum subnixus veritate, quæ comi adscititijs ornamentis recusat, tunc maximè placens dum incompta, & venerabilior quando nuda. Proferam Simulacra, & innumeras Avorum Imagines in conspectu statuam, quibus nescio quæ Clarissimæ Domûs porticus superbirent. Repetitis ab ultimâ Majorum stirpe pulcherrimarum rerum exemplis, aperiam artes, studia, instinctus, quibus Ingentes animæ velut traditâ mutuô per successiones gloriâ, & versâ in naturam ardua quæque & excelsa tentandi ac adimplendi consvetudine,

dine, ævum ſuum poſteritatemq; totam illuſtrârunt. Multa hic in Togâ Religioſo pacis Otio enutrita Sapientiæ ſtudijs adoleverunt Ingenia, ſed & infinita propemodum in ſago Heroum agmina fortiter geſtorum proventu clariſsima, in TUAM PRINCEPS laboraverunt famam, qui per innumera provocatæ fortitudinis experimenta *Scævolas*, *Scipiones*, *Rutulosque* Italiæ, vel *Achilles*, *Leonidas*, *&* *Hectores* Græciæ, redivivos in ſe Patriæ præſtiterunt. Horum jam ſeriem ex Annalium fide in paginas referemus.

Aliena omittam, nimirùm quot Nomina clariſsimæq; Familiæ, ſub gentilitio *Korczak* Armorum Veſtrorum præſidio per Apuliam, Calabriam, Neapolim in CARAFFIS, apud Rempublicam Venetam in DONATIS, Serenitate. Ducum, Sanctitate ſummorum Pontificum inclaruêre. Non recenſebo in hoc ipſo Regno per diverſas Provincias & Palatinatus Veſtris Inſignitas armis, *Chodorowſciorum*, *Zorawinſciorum*, *Derſniakorum*, *Boratynſciorum*, *Branicciorum* longa famæ, Titulorumq; ſerie in *Ruſſia*, *Podolia*, *Volhynia* Domus celeberrimas; Non memorabo in ipſo Orthodoxæ Fidei in Lithvania illucescentis diluculo, quot Proſapiæ antiquiſsimæ, ſimul ad Religionis Lumen, ac Stemmatis Veſtri Splendorem oculos, animumq; converterunt, & ad Gentis KOMOROVIANÆ acceſſerunt Clenodia. Simul Sacrum Baptiſmi Fontem cum Veſtris ſuſcipientes *Fluminibus* in Teſſeram gentilitiam Orthodoxæ Nobilitatis, agente id VLADISLAO JAGELLONE PRIMO, ut ſimul CHRISTO, ſimul Regno adjunctâ unitâque *Lithvaniâ* ſuâ, æterni hujus, Sacerrimique nexûs Arrham, quaſi acciperent Lithvanicæ Familiæ, in Variarum Poloniæ Familiarum, Veſtræq; KOMOROVIÆ Domûs Stemma tranſeundo. Decora hæc ferè innumera in alias Familias, à Vobis derivata, à longè venerabor. Ea duntaxat quæ Vos proximiùs ſpectant, propria, domeſtica, intima, & ge-

 nuina

nuina KOMOROVIANI Nominis Veſtrâ Specimina proſecuturus. Ea inquam Specimina Laudum & Gloriæ, quæ apud Vos Domi propriæ & in ſinu Veſtro nata, non aliunde quæſita copioſiſsimè abundant.

Annus ſupra milleſimum, trecenteſimus ſeptuageſimus agebatur, cum alto de Sangvine per Hungariæ Regna deductum Genus Nomenque KOMOROVIUM, Domûs Veſtræ Protoparens in Regno DEMETRIUS KOMOROWSKI Comes in *Liptow* & *Oravâ* Dynaſtiarum & Arcium *Rozembergæ Zabineciæ*, *Hradeciæ*, *Stargardiæ Sanicolanæ*, in Hungariæ Regni confinijs Hæres, in Poloniam invexit, fortunamque Suam cum Nomine in hoc Regnum intulit. More Solis ſtatim à primo his in partibus Ortu Suo clariſsimâ luce genus ſuum reſplenduit, dum primis effulſit Senatûs Honoribus. Ingenti quippe ære apud *Radultos* ampliſſimo *Comitatu Zyveceńſi* cum arcibus *Bervald* & *Szaffláry* comparato in *Ducatu Zatorienſi*; SUPREMUS REGNI THESAURARIUS à LUDOVICO Rege tunc Regnante renunciatus fuit. Sit ſanè aliorum Fluminum hæc Conditio, quod per Varios populos tranſeundo, & terras, non alveum ſolum, ſed & nomen & ſaporem mutant, ſibi ipſis per omnia diſsimiles. *Flumina* KOMOROVIORUM gentilitia, Nativum quem ex Hungariæ Regno traxerunt, ubique pari pretio efformant alveum, cuſtodiuntque perenniter. Aureum in DEMETRIO Virum tunc nacta Polonia, non alibi quam in Theſauri publici Scrinio repoſuit, Supremâ Theſauri Regni Inſignitum Præfecturâ. Acceſſit æſtimationi Viri, amor LUDOVICI Regis, ne etiam hic à Theſauro Cor ſejungeretur. Itaque Regno & Vitâ Ceſſurus LUDOVICUS, pretioſiſsimum ſupra omnes gazas quod habebat Cymelium, HEDVIGEM Filiam in Spem Regni ſuſceptam, Poloniæ Reginarum Sanctiſsimam, tunc quidem Minorennem, inque Matris

ELISA-

ELISABETHÆ tutelâ relictam, Proceribus Poloniæ, & hos inter DEMETRIO ſingulariùs commendat; quæ Sponſo quemcumque ei Reſpublica elegiſſet cùm pulcherrimis dotibus Regnum etiam eſſet allatura. A Funere LUDOVICI deductæ Cracoviam *Divæ Principi* HEDVIGI paretur, Regijsque ſumptibus providetur Supremi Hujus Theſaurarij Miniſterio. Interea à diverſis Principibus expetita HEDVIGIS, JAGELLONEM quoq; *Magnum Ducem Lithvaniæ* in Vota traxit. Hæſit Regiæ PRINCIPIS mens non ſuſpenſa ſolùm, ſed planè renitens diverſitate Sacrorum, Gentilitas quippe apud ſe JAGELLONI obſtabat, jamque aliò vel ſponte ſuâ, vel diverſorum conſilijs inclinatura videbatur; ſed feliciter Paranymphum Agente DEMETRIO; JAGELLO cum tota Familia Ducali, Genteque Lithvanâ CHRISTI Religionem; HEDVIGIS in Thori *Thronique* Poloniæ Societatem, recipit JAGELLONEM. Pompâ, impenſis, ſplendoreque ſummo, qualis Monarcharum fædera Sancta decet, Nuptialia Sacra coluntur, Neq; tunc duo illa Neoſponſorum Regum Corda, ſed duo Maximi Populi Poloni nempe, ac Lithvani, in Unum indiſſolubili vinculo Corpus feliciter coaluêre. In hoc per Omnem ſæculorum ſeriem auſpicatiſsimo Reipublicæ eventu, DEMETRIO KOMOROVIO cum alijs Regni Proceribus ad Immortale Familiæ Suæ decus principales Miniſterij ſui obeunte partes. Ut vero illud quoque Sapientis adimpleret effatum, *Neminem ſibi naſci*, ſed ortûs ſui partem unam Patriæ, alteram Amicis unumquemque debere: ne in aliquo Generis ſui claritudini perpetuæ deeſſet, Tres veriores Gratias, Filias nempe, quas ex Illuſtriſsima Conſorte Sua *Beata* Armorum eorumdem *Korczak* ſuſtulerat, Summis Maximisque tunc in Regno Proceribus; *Eliſabetham Dobrogoſto* Caſtellano Poſnanienſi, Generali Majoris Poloniæ, Annam *Teczynio* Cracovienſi, Catharinam *Ole-*

fnicio Sendomirienſi Palatinis elocat; ut primas Regni Familias neceſſitudinibus devinciret, Splendoremque earum in Poſteritate faceret perennem, ex tali conjunctione. Enimvero quemadmodum ut Dijs ſati naſcantur Hæroes, Matrum delectus habetur, nec Alcidem niſi Alcmena parit, ita *Tęczynij Oleſniccij*, vetuſtiſſimarum Proſapiarum Hectores ex KOMOROVIORUM illuſtri ſangvine debuerant propagari. Profecto *Tęczynij* ex *Anna Komorovia* Filia *Koniecpolſcium*, illum edidit, Cujus gloria per ævum memoreſque faſtos celebratur, in Supremo Cancellariatûs Regni Miniſterio, ex *Catharinâ* vero cum *Oleſnicio* duodecim prodiere Filij, Omnes Senatorijs conſpicui curulibus, quos inter SBIGNEUS Cardinalis *Oleſnicius*, primò Referendarius Regni, deinde Cracovienſis Antiſtes, Ducatum Severiæ ære ſuo emptum Cracovienſi adjecit Cathedræ, poſtremò Archiepiſcopus Gneſnenſis ad Primatialem Majeſtatem TIBI Abnepoti Suo Viam præformavit. Ternioni Sororum duo Fratres ceu duo Fulmina belli accedunt DEMETRIJ Filij: quorum alter, JACOBUS dum fortia contra inquietum motûsq; cientem Svidrigellum exequitur, pulcherrimam mortem oppetijt à Tartaris occiſus in bello.

NICOLAUS verò alter Filius DEMETRIJ, Comes in *Zywiec*, *Liptow* & *Orava* VLADISLAI *Jagellonidis* partes virtute & indole Martiali fortiter in adeundo Regno Hungariæ tutando, adverſæ factionis Ducem cui ab *Iſkra* populare nomen, multis velitationibus variè afflixit. Scepuſienſem Poloniæ tractum, contra ejuſdem molimina multipliceſque aggreſſiones, invicto robore defendit, Poloniæ hoc ab Hungaria propugnaculum ſalvum & integrum ſervavit, *Supremus Scepuſienſis Præfectus*, in illâ infelici ſcintillâ ignem feliciter extinxit, qui correpto Scepuſio per intima Regni facile majori pervagatus fuiſſet incendio.

Preſſit

Pressi t Heroica Patris vestigia PETRUS *Nicolai* Filius Comes in *Zywiec*, *Orava* & *Liptow*. Hui c Fidei erga Regem, fortitudinis in hostes exercendæ Campum Amplissimum aperuit Annus *1470*. Annus inquam sæcularis, à quo KOMOROVIJ in Polonia fixerant Sedem. CASIMIRUS hujus Nominis IV. JAGIELLONIDES, VLADISLAI Poloniæ & Hungariæ Regis, qui fata clade Varnensi, notavit in Anno *1444*. Frater, Hic ex ELISABETHA ALBERTI *Austriaci Cæsaris* Filia, LADISLAI Hungariæ Regis sorore, quam in Anno *1454*. duxerat, præter alios postea natos, duos jam sceptris tenendis pares Filios numerabat; VLADISLAUM videlicet & CASIMIRUM, quem postea intet Sanctos Sacrâ relatum Apotheosi, Ecclesia Christi veneratur. Utrique Principi, Libero Populorum Suffragio Regna se se aperuere amplissima: *Bohemia Vladislao*, Hungaria *Casimiro Sancto* post sterilia Ladislai fata tanquam Sororino. Sed *Bohemia* facilius *Vladislao* obtigit. Hungaria intestino Bello, Civilibusque scissa discordijs *Mathi*â *Huniadis* Filio quâ vi, quâ dolo cuncta miscente. Jamque eo miseram Gentem deduxerat *Mathias*, ut Oppressorem exosi cuncti ad Legitima JAGIELONICÆ Domûs sceptra respicerent, suspirarentq;. Instruitur Solemnis amplissimaque ad CASIMIRUM Regem Legatio, in cujus Capite erat *Joannes* Archiepiscopus Strigoniensis Hungariæ Primas, & *Paczynius* Quinqueecclesiensis Episcopus, Oratores. Precantur *Casimirum* florentissimi pulcherrimique Hungariæ Regni compatiatur vicibus, Usurpatorem Tyranumque *Mathiam*, Cervicibus populi sub jugo gementis amoveat, CASIMIRUM Principem secundò genitum Hungariæ Solio donet, quò Ei & Maternus Cœsaris Alberti sanguis iter præmonstrat, & Gentis totius invitant Vota. Se publico Omnium Nomine Obedientiam, fidemq; polliceri. Assentitur justis precibus CASIMIRUS Parens, Sanctissi-

mumq;

mumq; Principem Hungaris supplicantibus concedit. Adornatur contra *Matthiam* expeditio. Duodecim millia exercitûs cum Principe CASIMIRO mittuntur, Ductoribus Copiarum *Petro Duninio* Succamerario Sandomiriensi, & PETRO *Komorovio Comite* summæ Præfectis rei. Sed quanta est hominum sive naturæ, sive Cœli sub quo degunt impulsu levitas, in momento *Mathiæ* artibus circumventi, studia in contraria vertuntur Hungari, & quem propediem (Długossio referente) velut pestem quandam Notoriumq; Tyrannum execrabantur, ejusdem reconciliantur partibus, mutatâque adhærent fide Ei, quem ejuraverant. Regius interea Princeps CASIMIRUS ad *Nitriæ Portas* Annibal sanctior, Suæ Suorumq; Polonorum Opi propriæ relinquitur, & nec salutatus, quidem, turpiter deseritur. Succurrit Dignitati delusi Principis KOMOROVIUS PETRUS & in tam inopino casu, fortunæ telis omnibus semper consilio Major, relicto apud Nitriam cum *Jasinscio*, qui ex *Bohemia* advenerat, ac *Duninio* reliquo exercitu, Principem à perfidis delusum, Proceresque Regni, qui honoris causâ Regio Principi CASIMIRO Comites additi fuerant, cum parte Copiarum ad Confinia Regni deductum, in Comitatum *Liptow* & *Orava*, nec non in Arces suas Avitas recipit, amplissimarum ditionum Suarum Castra CASIMIRO patere, parereque jubet, imo sumptu proprio per menses quindecem Regiæ necessitati cum Aulâ tota Obsequitur, splendideque de Omnibus providet, donec inter *Mathiam* & CASIMIRUM Parentem, nec non Electum Principem in Anno *1473.* fæderibus sancitis res Composita; CASIMIRO Sanctissimo Principe brevi post hac è vivis abeunte, *Mathias* in KOMOROVIUM quam diu coxerat rabiem virulentam effusurus, totâ vi Potentiâque in Jllum convertitur, Avitis castris *Rozembergâ Hradecz*, *Sobieniecz*, *Starygrad* & *Sannicolao* ejicit, ac spoliat, Comitatu quoq;

Liptow

Liptow & *Orava* modico pretio ut obtentum aliquem Tyranidi Suæ prætexeret per vim obtruſo exuit: Ita PETRUS opulentis pulcherrimiſque Poſſeſſionibus in Hungaria, in quibus CASIMIRUM Principem receptaverat, ſibi per vim ac furorem *Mathiæ* ereptis, ad Comitatum *Zyvecenſem*, qui Unus ſibi in Polonia ſupererat, regreditur. Et quidem violentiæ tunc ſubductus eſt Tyranni, ſed non dolis. Necdum enim vindictæ ſuæ ſatis datum eſſe exiſtimans *Mathias*, Ultionis virus dum aperta vi proſequi non valet, in abſentem, fraude artibusq; occultis ſævire perrexit, & PETRUM quem ſpoliaverat fortunis, etiam Regis CASIMIRI gratiâ dejicere molitur. Mittit igitur ad PETRUM doloſus, reconciliatum animum ſuum, voluntatemq; Optimam erga Eum ſimulat, conſtare ſibi Innocentiam Viri, pænitereq; ſe omnium quæ contra innocuum geſſerat; Caſtra omnia in Hungaria adempta reſtituere pollicetur, modo Dominum mutare conſentiat, à CASIMIRO ad *Mathiam* tranſeundo. Addidit multa ad commovendum animũ profutura, Virtutem nimirum, totque præclara facta apud CASIMIRUM nulla præmia conſecutam, apud ſe in pretio ſummiſque muneribus futuram. Sed dum apud PETRUM technarum *Mathiæ* non rudem, nihil effecit, fraudem, quam in alterutram partem verſaverat, promovet: Rumores ſpargit, famamq; apud CASIMIRUM evulgat mendacem; PETRUM *Komorovium* cum *Mathia* arcana Colloquia, tractatusq; habere ſecretos, jam de Comitatu *Zywecenſi*, tacitis conditionibus paciſci. Habetur prompta rumoribus fides, & ut eſt ſuſpicax Aulæ ingenium, pronaque in deterius Credulitas, mittitur cum Copiis mandatiſque Regijs *Dembinius* tunc Cracovienſis Præfectus, Palatinus Sandomirienſis, qui Nomine Regio PETRO denuntiet, ſibi pro *Comitatu Zyvecenſi*, arcibuſq; *Bervald* & *Szafflarij* vel pecuniam â Rege numeratam accipiendam, vel ſi abnueret, armatam vim ex-

pertu-

perturum. Senſit KOMOROVIUS unde & quâ teterrimâ de nube fulmen iſtud in ſe contortum erupit; aſt *Dembinius* pro Innocentia obluctantem, Armatorum Copijs aggreſſus, Oppugnationem Arcium demandat, ferro & flammâ per dies quinquaginta cuncta populatur, omniaque Vi Superiore corrumpit, ac devaſtat. Hæc ſtipendia intemeratæ fidei, fortiterque in Hungaria navatæ operæ tulit tunc PETRUS *Komorovius*, exemplum de ſe præbiturus cunctis in Aulæ Culmine poſitis, quam lubrico ſtent gradu, unde ut excidant, non opus eſt noxâ, ſed mali ſuſpicione. At enim perſpectum habebat PETRUS ſublimè CASIMIRI Regis judicium, cujus æquitatis lux ſplendidiſſima, obnubilari ſiniſtris rumoribus potuit, non extingvi. Itaque innocentiæ præſidio Stipatus, eâque fiduciâ, quam rectegeſtorum Conſcientia inſpirat tutus, Regem in Pruſſiâ tunc agentem convenit, exponitque, quam iniquum ſit ab eo injuriam pati, à quô jura expectantur. Habet hoc innocentiæ fulgor per ſe reſplendens, quod ultrò puris Oculis ſeſe ingerit, neque longâ inſpectione, opus eſt, ut deprehendatur: erat & CASIMIRO Judicij acies perſpicaciâ fermè cæleſti, cujus claritate facile impoſturam à vero diſcrevit, confusâque ac damnatâ *Mathiæ* vafritie, innocuum *Komorovium* gradui, ſtatuiq; reſtituit, imò & gratiæ; non modò per errorem adempta reddens, quin etiam recentia meritis apud ſe malè traductis, præmia decernens, cui præter ditiones reſtitutas, damnaque compenſata, ampliſsimam adjicit *Craſnoſtavienſem Præfecturam.* Ita Innocentia opprimi à malevolis, at non ſupprimi valet. Quamvis crediderim veritatem tunc de Cœlo, juſtitiamq; proſpexiſse, ac *Divum Caſimirum* Principem jam cœlo receptum, PETRI KOMOROVIJ ſui cauſam egiſſe, Patrociniumq; Ejus apud Regem Parentem ſuſcepiſſe: ut tot fida obſequia, Jlluſtriaque merita, in petendo Regno Hungariæ proximè

in ſe

in se collata, ab injuriâ & contumeliâ vindicarentur. Habet proinde habebitque Jllustrissima KOMOROVIORUM Domus Tutelare Prosapiæ Suæ Patrocinium *Divi Principis Poloniæ* CASIMIRI JAGELLONIDIS, meritis fidelibus, variâque sortis vice, adhuc dum inter mortales Hic Divus ageret, nec non in obsequium gloriæ suæ, non tam discrimine, quam dispendio magnæ fortunæ comparatum. Et quemadmodum in Hungariâ ab avito inter cæteras Arces Castro Suo *Sannicolano* Divum NICOLAUM Indigetem habuit, ita in Polonia *Divi* CASIMIRI obtinet Numen sibi propitium; *Retinetq;* (ut ajebat Okolscius) *usque in præsentem diem pro sinceris actibus Benedictionem Domini Horum* KOMOROWSCIORUM *Domus*. Quàm clara deinde pro Fide & Regno specimina eodem *Casimiro IV*. Regnante exhibuit PETRUS, jam in illis memorandis contra *Crucigeros* expeditionibus ad *Choynicam* & *Grunvaldam*, ubi propriis Stipendiariorum signis rem gessit, jam ad *Bukoveciam* Arcem, totoque *Oswecimensi* tractu, quem à prædonum colluvie sub *Ostrava* Præfecto suo grassantium purgavit, Regnoque ac sceptris CASIMIRI tranqvillum adjunxit, Annalium perennis celebrat memoria. Frater PETRI erat Capitaneus Lanciciensis NICOLAUS, Cujus ex *Ożaroviâ* Armorum *Rawicz* Filiæ duæ: *Catharina Korycinscio* Palatino Lanciciensi, *Barbara Mathiæ Kostka* Nuptiali fædere junctæ, clarissimas Domos *Komoroviorum* Genti nexu Sangvinis strictiùs obligarunt. LAURENTIUS ejusdem NICOLAI Capitanei Lanciciensis Filius, *in Podolia* Castrum *Strussow* possedit, unde *Strussij Komorowij* dicti, Propaginis *Komoroviorum* Strussorum in *Podolia* Caput extitit. Ex His *Fælix* & *Georgius* dimicando contra *Bogdanum* Moldaviæ Principem *Pocutiam* tunc occupantem, ALEXANDRO Rege: non inulti cecidêre, ut scribit *Cromerus*. Horum enim fato, alterâ die Victoria stetit, nam san-

E gvinem

gvinem STRUSSORUM ulciſcentibus Polonis, acri prælio commiſſo, Dux Barbarorum *Burcolabius* occubuit, *Kopacz* vero exercitûs Præfectus Moldavici fugâ ſalutem quæſivit, *Bogdanus* denique ſupplices literas ad *Regem* ALEXANDRUM miſit, libellum concordiæ poſtulando. *Stanislaus Struſs* KOMOROWSKI, à Tartaris in Raſtavicenſibus Campis oppreſſus, duos Filios reliquit ex *Wilczkowna*: Jacobum, & Georgium. JACOBUS *Struſs Komorowſki* Capitaneus Chmielnicenſis maximus & felix Bellator, *ex Potocka* ſuſcepit *Nicolaum*, Cujus famæ elogium perpetuô monumento, recenſetur in Epitaphio Eccleſiæ Cameneci Podoliæ de tali tenore: *Accede hûc Chriſtiane Lector, & quem referat hæc Tabula vultum intuere, Talis erat ex vetuſtiſſimâ Proſapiâ Illuſtriſſimus* NICOLAUS KOMOROWSKI Struſs. *Qui poſtquam varios ubique Terrarum Hoſtes Livones, Hunnos, Valachos, Gethas Moldavos, Ottomannos; Ad Boriſtenem, Iſtrum, Pruth, Danubium Fluvios teruiſset ſemper, diverſis hoſtibus ex amore Patriæ pro incatenato Obſide deveniſset, tandem in Patriam redux, pro tot præclare factis, à Sereniſſimo* SIGISMUNDO III. *Halicienſis, Sniatynenſis, Kołomyenſis, Chmielnicenſis, Lubaczovienſis Capitaneus, nec non Senatoriâ dignitate cumulatus, cum plus ſuis viribus terra non ſufficeret, ad cœleſtia cum ſummo Eccleſiæ, Patriæ, Senatûs, militum mœrore Anno 1627. die 7. Januarii, ætatis 50. accerſitus, abiit.* Reliquit duas Filias, Unam *Sieninſcio*, alteram Adamo *Kalinowſki* Braclavienſi, Vinnicenſi, Lubaczovienſi, Łojowienſi Capitaneo primùm, deinde Illuſtriſſimo Duci in Viſniowiec Ruſſiæ Palatino Nuptam. Ita *Korczak* Veſtri Avita Flumina, tanquam Fluvius Paradiſi in diverſa Familiarum Capita exundante dividuntur alveo. Jam ad Primævam directamque Veſtram revertor procedentiam.

Anno 1480. Defuncto Parenti PETRO Comiti in

Zywiec

Zywiec Capitaneo Crasnostaviensi, gemina successerunt Sydera *Alexander* & *Christophorus*, quorum alter Hesperium exhibuit fatum, nempe Alexander Pocillator Cracoviensis præmaturo extinctus Occasu.

CHRISTOPHORUS alter *Petri* Filius Castellanus Sandecensis Comes in *Zywiec* Phosphorum se exhibuit, quippe Generis Sui diem, Lucemque reddidit Splendore Familiæ in successoribus propagato, nam præter Filiam Catharinam quæ Sbigneo *Lanckoronski* Succamerario Sand: nupsit;

Anno *1526.* PETRUS *Christophori* Filius Comes in *Zywiec* Castellanus Połanecensis memoratur, qui cum *Barbara* Comitissa de Tarnow celebratis Sponsalibus prolem Suscepit *Sophiam*, *Nicolao Myszkowski Osvecimensi* Castellano Nuptam, Idemque Filios tres numeravit, videlicet *Joannem Pocillatorem* Regni & *Adalbertum*, de quo Constitutione Regni *1567.* habetur mentio, hi duo posteritate caruerunt. Tertius Castellani Połanecensis Filius

CHRISTOPHORUS Castellanus Oświecimensis Comes in *Zywiec.* Celebrat præcipuam Ejus erga Patriam Charitatem sub Interregni tempore Constitutio Anni *1586*, in cujus tutelam aliquot signa stipendiis suis tenuit. Decem millia æris proprii in Bellum contra Turcas Reipublicæ Liberalissimè numeravit, ut habet Constitutio Regni *1593.* Huic primo fœdere juncta *Lutomirska* Castellanis Zavichostensis protulit Filium *Joannem*, nec non Filias, *Sophiam Buzenscio* Capitaneo Dobczycensi nuptam, *Barbaram Feliciannam*, & *Annam* innubas. Secundo verò voto *Barbaram Płazianka* sibi conjunxit Capitaneidem Lubaczoviensem, ex qua Octo Filios recenset Domûs Genealogia, videlicet *Andream*, *Josephum*, *Joannem* duosque *Stanislai* Nomine, qui immaturo decesserunt fato. *Petrus* Ordine Sextus Capitaneus Oświecimensis cum *Catharina Przerębska* prole

 caruit

caruit, Arcem Oświecimensis Præfecturæ, Tritavi Sui *Petri* Virtute bellicâ Regno adjunctam, ut Domûs Suæ beneficium ac meritum in Patriam perrenne redderet, sumptu notabili reparavit. *Alexander* Ordine Septimus, ex *Dembinska* Castellanide Biecensi Filiam nonnisi suscepit *Catharinam*, quæ primùm *Petro Grudzinscio* Capitaneo Sredensi, deinde *Theodoro Łaski* Mareschalco Curiæ M. D. L. nupsit.

NICOLAUS numero Octavus Castellani Oswiecimensis Filius, Capitaneus Osviecimensis erat, in quem tot post sterilia Fratrum Funera, Domûs Spes inclinata recubuit; Famam illius inde extollit Historia *Cichocio* teste, quod Ecclesias redditibus auxit, Sacrâ supellectili Splendoribusque decorem Domûs DEI promovit, Sacerdotiis fundatis, cultum Divinum propagavit. Vir magni Animi & præcellentis *Annam* de *Mirow* Marchionissam *Myßkowska Sigismundi* Supremi Mareschalci Regni Filiam duxit, ex qua Quinque Filios suscepit. *Stephanum* qui Ecclesiam Parochialem in *Sońsk* fundavit, Genus Komorovium, in Russiam, Podoliam, Lithvaniam invexit. *Andream* Præfectum Copiarum Exercitûs Regni *Kazanovio* & *Potoccio* Ducibus: Triginta Annorum emerita militia clarum. *Petrum* Regio & Reipublicæ Nomine Comissarium Gentis Cosaticæ *Sigismundo* III. & Vladislao IV. Regibus, *Christophorum* qui ex Marcianna *Przyłęcka* unicam suscepit Filiam, Constantiam Christinam *Joanni Wielopolscio* Supremo Regni Cancellario elocatam, quæ in Illustrissimam Wielopolsciorum Domum, Jura Successionis ad Marchionatum Pinczoviensem intulit. Idemque secundo voto habuit *Lanckoroniam Nicolai Succamerarii* Podoliæ Filiam. *Nicolaus* præfatus Osviecimensis Capitaneus, in Anno 1624 Comitatum Zyvecensem, à ducentis supra Annis in Domo Sua Hæreditarium, *Constantiæ* Reginæ *Sigismundi* III. secundo nuptæ constituto pretio cessit; & *Capitaneatum Neoforensem* accepit.

JOAN-

JOANNES Ordine quintus *Nicolai* Filius Dapifer Bełzensis, Judex terrestris Cracoviensis; clarebit Legationum ejus memoria, per Legum Patriarum tabulas perennes, Annorum *1618. 1620. 1623. 1631. 1637. 1638.* Huic *Dorothea Lipska* Andreæ Episcopi Cracoviensis soror protulit *Adamum* Canonicum Cracoviensem, Abbatem Wachocensem Regentem Cancellariæ Regni. Cui in Divisione sortium substantiæ, Bona *Witow* & *Dąbrowa* in Palatinatu Cracoviensi, Districtu Proszoviensi cesserunt. De Eo aliud sibi Ecclesia, Familia, & Patria proposuit, aliud disposuit fatum: quippe multorum complicatione morborum, ut habet ejus Epitaphium in Cathedrali Cracoviensi Ecclesia, primô ætatis flore immaturo decessit ævo, acerbo Avunculi Principis Episcopi Cracoviensis dolore.

STEPHANUS alter filius JOANNIS ex *Lipscia* frater immediate memorati *Adami* Canonici Cracoviensis, Hæres in *Sußno*, *Niestanice*, *Chyßowice Łußczow*, *Lemießow* & Sortium *Trzesczany*, Cohortis Regiæ Tribunus, Succamerarius Bełzensis, *Catharinam Myßkoviam* Castellanidem Bełzensem, Capitaneidem Tyszovecensem duxerat, ex qua præter *Michäelem*, qui sine posteritate decessit, Duos Filios suscepit, Capita Nobilissimarum duarum *Komoroviana* Gentis in Russia propaginum: scilicet *Joannem* & *Adamum*.

JOANNES Primogenitus Stephani, ex Myszkowska Castellanide Caput Primæ propaginis, cum KOMOROWIA Armorum Olor, procreavit MICHAELEM Venatorem Buscensem Hæredem in *Sußno* & *Niestanice* Virum Illustrem, qui tyrocinia ætatis exegit in Armis, & insignia fortitudinis specimina in Castris exhibuit; deinde ex *Barbara Łopacka* Subdapiferide Ciechanoviensi suscepit JACOBUM, Spem generis Sui Columenque futurum, nec non tres Filias; SOPHIAM Sacri CANONISSARUM Varsaviæ in Mariæ-Villâ

 Parthe-

Parthenonis ABBATISSAM Consecratam. TERESSIAM Francisci Bekierski, Capitanei Ostroviensis ad præsens Viduam, quæ Seraphicæ Teressiæ pietatem & Sapientiam, cum Vidualis Statûs Officiis custodit, meritòque illum honorem quo verè Viduas honorare præcipitur, sibi vendicat, hujus enim Status Elogia ita in se exhibet, ut ex ipsa morum Jllius Imagine integerrimâ accuratiùs efformanda forent, si nusquam haberentur descripta. Crescit sub Oculis tantæ Matris, tenella, sed ad Maternæ probitatis formam composita unica ex Bekierscio Filia CONSTANTIA Capitaneis Ostroviensis, quæ Amitalibus *Sophiæ* ANTISTITÆ, Maternisque *Teressiæ* exemplis non minores quàm *Eustochium* sub Oculis *Paulæ* sumit profectus. Decus & Ornamentum ævi Sui futura, Cui concesserit in Vota, felicem Coronam allatura. Ternionem Gratiarum Soror tertia complet *Michäelis* Venatoris Buscensis Filia CONSTANTIA. Hic secundarum Nuptiarum Nexu *Helenam Rostkowska* Pincernidem Płocensem sibi sociavit, ex qua *Nicolaum* & tres minorennes numerat Filias. *Michaelis* Patrui Sui præmatura ac Sterilia fata benedictione prolis compensando.

Alter *Stephani* Succamerarii Bełzensis cum *Myśkovia* Castellanide Filius jam prodit in paginam, ADAMUS Venator Buscensis AVUS TUUS memorandus, Caput Jlle secundæ propaginis ad TE proximius deducendæ; Huic ex *Catharina Jarocka* Armorum *Rawicz* Ensiferide Præmisliensi, Sebastiani Branicki Armorum *Korczak* Episcopi Posnaniensis Nepte, ex *Poniatowscia* Sorore germanâ PONIATOVIJ Parentis hodierni Palatini Mazoviæ prognatâ, Primus Filius STEPHANUS, Cui ex *Hedvige Młocka* duæ duntaxat Filiæ fuerunt *Susanna Makovieccio*, deinde *Gurowscio*, & *Constantia Casimiro Grabianka* Tribuno Livensi Nuptæ.

JOANNES Dapifer Novogrodensis Suo jam Celebre-

lebretur Encomio ſecundo genitus *Adami*, Parens TUUS deſideratiſſimus. Hic quidquid ab Avis Ataviſque gloriæ manavit, in ſe Complexus eſt, ut in TE transfunderet: ætate quippe primâ per Virtutum ſpatia magnis meritorum paſſibus exactâ, Atria Domûs Clariſſimæ ita Majorum Imaginibus exornavit, ut ſingulorum Probitatis Laudiſque genuinam effigiem actibus exprimeret, Memoriæ Omnium Aram honoris in ſe rectegeſtorum Celebritate Sacram dicatamque ponendo: Cui TU *Pontificia* PRIMATIALIQUE *Majeſtate* faſtigium gloriæ imponeres. JOANNIS Paternum Nomen, Omen gratiæ TUÆ fuit, TE vero ADAMUM non ſine fatidico oraculo vocari juſſit, quod Primam Principemque in Regno Dignitatem TUAM ipſo Nominis vaticinio præſagiret. Spectat Ille nunc de Cælo cum *Illuſtriſſima* de SULMIRSCIIS *Conſtantia* Lectiſſimâ Conſorte hæc ſua Solatia, quorum præſagium, ſibi, alijſque jam in teneriori ætate cuncta TUA compoſitio præferebat certiſſimum. Enim vero perluſtranti mihi hactenus *Domûs Veſtræ* Faſtos, cogitatio incidit, plusne gloriæ? ac Splendoris ex KOMOROVIJS in alias clariſſimas Familias profluxerit, quam Ipſi ab aliis derivarunt? Quæſtionem hanc in utramque partem animo volventi obverſabantur KOMOROVIÆ *Heroides*, quæ *Tenczynijs*, *Oleśnicijs*, *Koniecpolſcijs*, *Korycinſcijs*, *Kalinowſcijs*, *Wiśniowieccijs*, *Lanckoronſcijs*, *Wielopolſcijs*, *Koſtkis*, *Łaſcijs*, *Młoccijs*, *Bużenſcijs*, *Hulevicijs*, *Oranſcijs*, *Złotniccijs*, *Bekierſcijs*, *Makovieccijs*, *Złoccijs*, *Grabiankis* Nuptialibus junctæ fæderibus, ad immortalem tot Nominum clariſſimorum fortunam, attulerunt quandam propagatione gloriæ perennitatem; Occurrebant menti ex adverſo *Potocciæ*, *Tarnoviæ*, *Lanckoroniæ*, *Myſzkowiæ*, toties ultro citròque repetitis nexibus *Zipſciæ*, *Lutomirſciæ*, *Płaziæ*, *Dembiniæ*, *Przyłecciæ*, *Przerębſciæ*, *Ozaroviæ*, *Łopacciæ*, *Roſtkoviæ*, *Cichocciæ*, *Jarocciæ Sul-*

mirsciæ, *Radecciæ*, *Slugocciæ*, *Kumanieccia*, quæ Splendoribus Vestris Suos junxere fulgores, lucemque luci addiderunt, ut anceps mihi videretur decisio, à qua parte, cui plùs accesserit? KOMOROVIORUM enim *Flumina* in Omnes Vetustissimarum Domorum influxerunt Parentelas, & vicissim quasi quoddam sangvinis alti Pelagus in Vestra Flumina intravit. *Vos* in Omnium, Omnes in Vestram gloriam contribuerunt. Ita hærenti animo opportunè occurrit CONSTANTIA de *Sulmirscijs Diva Parens* TUA ita rem definiens, quod nimirum tot longa decorum Ornamentorumq; serie sæculis retroactis, in TUAM PRINCEPS gloriam laboratum est, deinceps verò à TE uno tam Conjunctarum Prosapiarum, quàm propriæ Illustrissimæ Geneseos summam maximamque Claritatis augem præ cunctis derivandam. Profectò quidquid præclarè gesserunt Majores TUI, meritum id omne TUUM est, & ipsæ quibus Illi extolluntur laudes, TUÆ sunt etiam, cum sint Virtutis. Quotiescunque enim Animi magnitudo, qui Universis Unus par sit, quoties mediis in malis rigescentis Constantiæ robur, aut Prudentiæ futurorum Dominæ acumen in aliquo eorum celebratur, toties TU in alio laudaris. Scilicet parum Illis visum est maxima perficere ac laudatissima, nisi etiam Animo TUO agerent: in quo velut in effigie Virtutis, Animâque Suæ gloriæ superstites se esse, ac redivivos gaudent. Quibuscunque enim laudibus ornata fuit Virtus Majorum, eas omnes gloria TUA sibi vendicat, tanquam in TE refusas ac redundantes, sibiq; olim acquisitas ad se trahens, ac revocans, ullâ sine diminutione possidet: ut in perpetuis Domûs TUÆ *Fastis* nulla alia cernas, nisi ea, quibus contextus est totus ætatis TUÆ decursus, summæ virtutis specimina. In hanc gloriam TUAM PRINCEPS, Rectegestorum Suorum decora infinita propemodum contulit PETRUS SULMIRSKI *Vexillifer* Braclaviensis;

quanta

quanta laudum præconia TIBI hic Avunculus excitat Hector, qui ætatem Marti consecratam, Invictissimo illi Heroum Numini JOANNI III. obtulit, eo sæculo, quo Polonia fortissimorum Virorum gloriâ & numero effloruit. *Astræam* sociavit *Bellonæ*, diffidentes invicem raroq; concordes Deas, pulcherrimis nectendo fæderibus, *Judex Generalis Castrensis*, munere hoc usque ad ultimam Vitæ periodum sanctissimè administrato. Vir in Toga per Tribunalia diversasque publicas Legationes Sapiens, Justus, Incorruptus, in sago fortitudine clarus, Amorem & venerationem Omnium singularem cultissimo Ingenio, & moribus sibi devinxit. Jllud etiam implevit, ut pro Justitia agonisaret, Functioni summæ in Tribunalis Regni subsellio, præclaro memorandoque immortuus fato, vincitque fata superstite famâ: Virtute quippe ornatissimum ævum Cœlo, memoriam meritorum perennem Patriæ commendavit. Samuel *Sulmirski* Avunculus alter *Venator Braclaviensis*, perfectæ virtutis typum, omnisque honestatis exemplum in se expressit, cum plurima Ornamentorum in Patriam, commodorumq; in Familiam accessione. Sed nemo Majorum in TUAM perpetuam famam contribuit accuratiùs, quàm *Illustrissimus & Excellentissimus* JOSEPHUS *Myszkowski* AVUS TUUS *Catharinæ Myszkoviæ* Castellanidis Bełzensis Frater, Ipse *Sandomiriensis Castellanus* Sublimi Senatoriâ Curuli clarus. In Consiliis & Judiciis Vir animo præcellenti magnus, Authoritatis plenus. Amicos beneficiis obstringere, Hostes Magnanimitate capere in usu habuit. Quidquid meritorum & gloriæ MYSZKOVIORUM Nomine hactenus propagatum fuerat, in se conclusit, ultimus hujus Gentis per Masculam stirpem Marchionum. Antiquam Majorum Suorum de Republica bene merendi consvetudinem amplexus, Celsissimam *Magdalenam* Ducissam CZARTORYSKA in Fædera vitæ, assumpsit.

 Cum

Cum JORDANORUM vetuſtiſſimâ Proſapiâ Affinitates per Neptem ANASTASIAM Myſzkowſka *Jordano* Palatino Bracławienſi Nuptam celebravit, & ut tot rectegeſtis faſtigium meritorum in Patriam ſuperadderet, Majorumq; gloriam poſteritate ſibi negatâ propagaret in factis, in TE PRINCEPS Nepote Suo tantæ laudis perennitatem ſpiraturam, duraturamque ſentiens, præcellentem Indolem TUAM curâ, educationeque adornare conſtituit, quò Talem Tantumq; PRIMATEM Patriæ toti efformaret. Hæc ſunt PRINCEPS, quæ TE longo ſæculorum tractu præceſſerunt ad hunc Majeſtatis apicem, quem hodie conſcendis. Quæ verò comitantur in hoc rerum faſtigio conſtitutum, jam veniunt recenſenda.

Et imprimis comitatur Sacratiſſimam Conſecrationis TUÆ Pompam pretioſa Fratrum Corona. Agit Ante ſignanum tanti Comitatûs STEPHANUS MAMMERTUS *Dapifer Bełzenſis* Armamentarii Regni Colonellus, Heroica Annorum triginta ſtipendia, & ſub caſſide emeritos Canos, in TUÆ Celebritatis decus præſeferens. Exterorum Provincias amore ſibi & veneratione devinxit. Senis excoluit Ingenium, quod ad omnis literaturæ cultum ætas cum optimarum Artium notitia, nec non per Italiam, Galliam, Germaniam, longis terrarum ſpatiis continuata peregrinatio præformavit. Patrio redditus Solo, totum ſe publicis addixit Uſibus. Toties ad Tribunalia Commiſſarius, ad Comitia Regni Nuntius, in Comitiis Pacificationis ex Palatinatu Bełzenſi *Angelus Pacis*, fortitudini militarique animo conſilium adjunxit. Ex *Marianna* RADECKA Caſtellanide Lubaczowienſi duos in ſpem Patriæ & Familiæ ſuſcepit Filios JOANNEM *de Dukla* VEXILLIFERUM *Balliſtarum*, & JACOBUM *Antonium* in Regimine Principis Regii Honorarium COMMILITONEM: qui ad præſens Studia plena laudis pertractant, amplexuri deinde ea, unde gloria Domûs ſuccreſcat. Ad Imaginem & exemplum

PATRIS

PATRIS, ad obsequia Reipublicæ & Regum optimè instructi, nunc literarum Observantissimi, post Amatores Castrorum futuri, servant modestiam Juvenes, spondent Consilium senes. Totidem numerat Filias BARBARAM & ANNAM pulcherrimarum dotum compendia in se complexas. Dignus Ipse qui pridem sublimiores in Regno ornaret curules; sed venient Sua sera licet virtutibus præmia, nec sinet Optimus meritorum Cognitor & Ponderator AUGUSTUS, ut posteri non sine querela referre valeant, STEPHANUM MAMMERTUM sub ingrata remunerationis sterilitate ævum duxisse. Nihil enim PRINCIPI Nostro adeo carum est, quam Optimus Civis Patriæ, idemque Sapiens Consultor & Ductor.

Accedit JOSEPHUS *Dapifer Horodlensis*, Cui primò *Cichoccia* Judicides Grabovecensis IGNATIUM & filiolam immaturo sublatos fato protulit. Altero vero nexu *Joanna Sługocia* Pincernæ Chełmensis Filia conjuncta est. Is Legationibus ad Comitia Regni Grodnensia & Varsaviensia *Consos* refert veteresque *Catones*.

Proximè Hunc assistit MARCUS CYPRIANUS, in quo magnâ cum gravitate conjuncta modestiâ certat. Sacrum meritorum stadium in Ordine *Scholarum Piarum* emetiri constituit, jamque glorioso Annorum supra triginta consummat cursu, post Ecclesiasticas Cathedras duodeno annorum Spatio *Rector*; Cui præmia colligit nunc *Pia Pallas*, Magistra Sanctioris Consilii, solidæque mentis.

PETRUS *Venator Bracłaviensis* cui præsentem hanc felicitatem præceps invidit fatum, in loco sui ex ANNA *Kumaniecka* Capitaneide Pilznensi Filios Superstites, MICHAELEM nempe & STEPHANUM Filiamq; CONSTANTIAM Solium TUUM Pontificium cingere jubet. Hic actu vitam rectegestisque magis, quàm tempore emensus, illud in se, quod fama celebrat,

adimplevit Elogium: *In Patriâ Virtuti sat est objisse: sibique persimiles Patriæ progenerâsse Suæ.* *Michael* vero & *Stephanus* desideratissimi Pignora cara Patris, Juventutem Suam ad præstantia facta natam, cum musis occupant, donec ad obsequia Patriæ robur ætatis assumant, Majorumque gloriam propriis illustrent factis.

SAMUEL in Sacro *Eliæ Carmelo* congrua Statui Reipublicæ promptè exhibet obsequia, ore collaudans Eumqui Spirituum & rerum omnium obtinet potestatem, Virtutumque omnium Ornamentis conspicuus, cunctis; ex Asceterio illud ingeminat, quod Sacer Pòëta canit.

Est magnum, Magnos Titulos numerare Parentum,
Et Genus è veris ducere Nobilibus.
Est Majus, vitam morum splendoribus Auctam,
Virtutumq; Sacrâ ferre sub Astra face.

ILlustrat meritorum Suorum clarissimis titulis hunc *Diem Honoris* TUI, IGNATIUS *Ensifer* Terræ Chełmensis, geminaq; secum in augem Lucis accendit Splendentia Sydera JOSEPHUM & CASIMIRUM ex CATHARINA RADECCIA Castellanide Lubaczoviensi procreata. Hi Parentis sui per Comitia & Tribunalia Regni vocalis famæ præconio celebrata æmulaturi munera, ad præsens Apollini Indolem pulcherrimam devovent, quorum *Angela* Soror omnem formam probitatis in se, effigiemqne repræsentat.

Stetit juxta hanc *Aram* Celebritatis TUÆ MICHAEL *Venator Lubaczowiensis*, cui etiam ANGELA ZŁOCKA Thesaurarii Nurensis, Consors Lectissima, thymiamata plurimarum virtutum Suarum devotissimè adolet in Majorem Solemnitatem. Omnes vero præfati insimul proximo nexu sibi sociata, TIBIQUE *Czartoryjsciorum* per *Myßkovios* ac *Jordanorum*, *Wielopolsciorum* per Vos ipsos *Komorovios*: ac *Potocciorum*, per *Strussos* gentis Vestræ. *Poniatowsciorum* per *Jaroccios*, *Rzevusciorum*, *Humiecciorum* per *Radeccios*, *Cichocciorum*, *Słu-*

gocciorum, *Kumanieccirum*, *Zlocciorum*, *Soltykoviorum* per *Obodynſcios*, *Suiſciorum*, per *Sulmirſcios*, *Ozgas & Gluziccios*. Præſtantiſſima, Pervetuſta, & meritorum gloriâ Patrio externoque Orbi celebratiſſima Nomina ducunt in Conſortium lætitiæ. Quorum laus durabit in luce temporum, famâq; rerum, qnamdiù fides Annalium ſtabit, curaque mortalium erit Auguſtiora cognoſcere.

Sed inter tot confertiſſima decora, quæ T E circumſtant undique, TU PRINCEPS Ipſe maximum TIBI decus es, rariſſimis ijſque ſingularibus ac propriis Animi Præſtantiſſimæque Perſonæ Tuæ ornamentis; quippe non ſolâ Majorum opinione & gloriâ uti, ſed propriis etiam florere geſtis ac inclareſcere elegiſti. Ante igitur Sapientia, Magnanimitas, Juſtitia Pietaſq; TUA ut propriæ nativæque dotes mihi laudandæ veniunt, niſi forte ſupra omnem laudem gloriamque ſit, quod hæc eadem decora, per exteras Gentes varioſque Populorum mores, illibata, intactaque ſervaveris, & rariſſimam magnis Domibus in Exteris laudem, cuſtodiveris Innocentiam.

Non enim inter Sacros Thebarum Eremi receſſus, aut conſecrata abſtinentiæ Clauſtra, ſed *Romæ* ſpatium ævi florentis emenſus in illo mundi publico Theatro, in illo Sacrario Fidei, ac Religionis veluti Arce, ſummâ graviora ſtudia morum Sapientiâ conſecraſti, atque ad occupandum, quod hodie obtines PRIMATIALE Solium, *Rex Sacrorum* jam tunc parabaris. Comitabantur ubique futuri PRINCIPIS Vultum pudor, & gravitas, neſcio quam futuram Majeſtatem præſagiens Ingens Animus, & animatum quoddam in tota ſpecie priſca virtutis ſimulacrum. Nihil affectatum in geſtu, ſed nativa probitatis lineamenta ad vivum exhibentes mores, abſq; illo contorſionum multiplici ſtudio, quo plurimi dum virtutem per imitamenta falſiſſima effingunt, non niſi torvam prorſuſque ſibi repugnantem ex-

hibent. *Lauream Doctoralem* in Urbe tot Ingeniorum Matre atque altrice fæcundissimâ publico plausu atque approbatione communi consecutus, præstantissimo Ingenio, ac moribus TUIS ita venerationem existimationemq; summam conciliasti, ut simul omen non vanum rerum maximarum inde exportaveris, peracta apud exteros itinera, syderis more, vestigio lucis ubique signando.

Sed jam inde revertentem reducemq; Augustissimo *Cathedralium Cracoviensium* gremio receptum, Patriæ redditum, Munerumque maximorum in usu constitutum festinans assequitur Oratio. *Illustrissimum Excellentissimum & Reverendissimum* CATHEDRALE CAPITULUM CRACOVIENSE, quod summos nonnisi fert *Proceres Sacrorum*, nec tàm Prælatorum quàm Antistitum cætus est, Archi-Præsulum, Præsulumq; indeficiens scaturigo, & quoddam Ministerii, Senatûsque Sacri totâ Poloniâ Seminarium, quam primùm TE in numero suo obtinuit cooptatum, apertos mores & excultos, animum supra corporis dignitatem, & decus formæ nihil humile aut vulgare spirantem, & quandam summæ Indolis insitam in Te Majestatem advertens; ut Decus suum & Ornamentum, ut Columen & Præsidium olim futurum, jam tunc veneratione amoreq; præcipuo prosequebatur. TE in ore laus omnium, TE in corde perpetuò gessit amor & reverentia Collegarum. Occupabat eo tempore Vavelli Pontificiam Sedem non modo Cracoviensium, sed maximorum Antistitum Maximus CONSTANTINUS FELICIANUS SZANIAWSKI, nunquam sine reverentiâ nominandus, cujus memoriam & sacra cinerum *Ecclesia* & *Patria* reverebitur perenniter, tanquam veri Poloniæ statoris. Hic TUÆ velificaturus æstimatissimæ apud se Dignitati, *Cancellariatûs Cathedralis* Prælaturam vetustate temporum intermissam, obliteratamque per se recenter ab

oblivione

oblivione & injuriâ temporum vindicatam, restitutamque postliminio in gratiam TUI reduxit, imo TU Ipse hortantibus & Suffragantibus Honori TUO *Szaniavii Principis* votis, Peraugusto Capitulo liberalitate TUA reddidisti.

Ita *Cathedralibus* Vavelli *Proceribus* novus Tecum accessit splendor Dignitatis, quod quàm late pateat tùm in gloriam TUAM, tùm utilitatem publicam, Majestatemque Sacrorum, nemo est, qui non capit. Quid ego ulteriùs TUAM Fidem, Humanitatem, Prudentiam, Constantiam, Justitiam, Zelum Religionis singularem, cœterarumq; virtutum præconia Oratione prosequar? quarum nec obscura, nec ignota specimina edidisti. Quid gestos cum Nominis celebritate, in *Ecclesiâ* per Officialatus, Principemque Cracoviensem PRÆPOSITURAM *Cathedralem*, tum in *Patriâ* per repetitos toties Supremi Tribunalis Regni Magistratus, illos memorandos edisseram? quibus omnibus TE huic sacræ Purpuræ, quam hodie assumis, jam olim parem merita præstiterunt. Quodsi licuisset in arcana futurorũ absq; Ministerio Syderum Animum immittere, jam tunc spes humanas ad ea tempora legissemus excitatas augurio, quorum eventum nos præsenti felicitate sentimus. Jamque Regna Regumque animos Prudentiâ complectens, ad Ministeria Regni, ad Infulas & Cathedras vocabaris, AUGUSTI Suffragio & altâ destinatione, sed declinabas. Conscientiam rectegestorum pro Cidari reputans, & Coronâ. Alios TIBI præire sivisti, accipereque præmia TIBI parata, modestè recusasti. Donec maturâ meritorum luce non in parte Orbis, sed medio ipso Patrii Cæli in centro, pleno meridie Honoris subitò inclaresceres *VICE-REGIA PRIMATIALIQVE* Majestate. Ipsius SOLIS SERENISSIMI *Paralion*. Auctâ quippe per obsequium famâ, adeo TUAM Principi comprobasti fidem, ut ad Regiam accersitus,

quàm primùm locus oblatus eſt, in eō Metropolitanæ Sedis collocatus fueris *Solio*, ex quo Sanctiſſimi SZEMBEKII, vel Maximi OLESNICCIJ, KARNKOVIJ, MACIEJOVIJ, RADZIEJOVIJ, OLSZOVIJ, POTOCCIJ, deceſsêre; ut TUÆ dignitati & Gloriæ ſpatium locuſque pateret, & redderetur ſuus ſplendor Honori, Honor Virtuti.

Ita eſt PRINCEPS, mutuam vicem reddis Dignitatibus, ſingulis enim quas geſſiſti, novum Tecum decus acceſſit. Vidimus hactenùs ſacras Dignitates ad Optimum quemque deferri: Aſt in TE PRIMATIALEM Honorem ſummo etiam gradu attolli conſpicimus; ac intercedente TUÆ pretio Virtutis, novis inſuper Ornamentis augeri à PRINCIPE AUGUSTO gratulamur Univerſi. Conſpiravit ad augenda decora TUA Orbis uterque, POLONIA ad Inſignia Splendoremque Eminentiſſimi in Patria hac PRIMATIALIS gradûs diſtinctivam efflagitando Purpuram: ROMA continuò eandem TIBI ampliſſimis cum facultatibus decernendo, deferendoque. Et hujus quidem uſum ab omni temporum ætatumq; memoriâ, tenuerunt Prædeceſsores TUI, ut non tam novum aliquid huic Prærogativæ attribui videatur, quàm Vetuſtiſſimus mos confirmari: Sed aliud prorſus eſt quod uſu obtinetur, aliud quod VATICANO aſſertum Oraculo ſe ſe tuetur; quo vel contentio, vel ignorantia ac æmulatio multorum retundatur. Et quidem omnium Superioris ævi Maximorum PRIMATUM Prædeceſſorum TUORUM adoranda ſunt Nomina; Eorum imprimis per quos Archi-Præſuleæ Sedi TUÆ *Metropolitico Jure* toto Regno ac Magno Ducatu Lithvaniæ latiſſimè præeminenti, per diverſos ſæculorum tractus diverſa facta fuit gloriæ, honoris ac utilitatis acceſſio. Colitur inter Divos ADALBERTI, BOGUMILI aliorumq; ſanctitas, celebratur diſtincto

famæ

famæ elogiô HENRICUS *Kietlicz* Dux Brigensis Anno 1200 Primas memorandus Ecclesiasticæ libertatis Assertor, de quo hæc refert *Dlugossius* clarissimus rerum Polonicarum Scriptor: *Henricus Arhiepiscopus cum esset animi generosi, multos labores subiit, & sustinuit pro Ecclesiæ Polonæ libertate acquirenda, ac dilatanda. Ipse de consensu unanimi Ducum Poloniæ Universum Clerum Ecclesiastici fori, Privilegio fecit gaudere. Deinde cum pro hac Libertate tuenda Romam Se personaliter contulisset, ibidem rebus omnibus pro voto apud Sedem Apostolicam obtentis, accepto LEGATIONIS OFFICIO, in Regnum Poloniæ rediit, cum magno honore à Ducibus Poloniæ receptus, Privilegium Libertatis Ecclesiasticæ* qua LEGATUS NATUS *publicavit, Cœlibatu quoque Clerum Poloniæ universum obstrinxit.*

Clarebit æterna FULCONIS *Primatis* memoria, qui *Ducatum Lovicien[s]em* adjunxit Sedi Anno 1240, Privilegio desuper CONRADI Ducis Mazoviæ intercedente. Vigebit in Annalibus JACOBUS *Primas*, ejusque Animi magnitudo, qui Coronæ Regalis decus à cæde Divi STANISLAI Regno ademptum post ducentos annos restituit, Coronato PREMISLAO Rege anno 1292. Stabit sæculis omnibus firma JAROSLAI *Primatis* sententia, Statuto Regni, CASIMIRO Magno Regnante inserta, quâ illud intestinum dissidium causa decimarum inter Status, Spiritualem & sæcularem Diœcesis Cracoviensis, Palatinatibûs quoque Sandomiriensi & Lublinensi exortum, annuente CASIMIRO Rege, velut sequester inter Majestatem & libertatem electus Arbiter, Decreto suo composuit ac definivit Anno 1353. Perennabunt JOANNIS *Primatis* opera in Arcibus, quas per Archi-Diœcesim *Lovicij*, *Opatoviæ*, *Calisij*, *Uniejoviæ*, *Kamionæ* à fundamentis

erexit. Legetur inter titulos perennes BODZĘTÆ *Primatis* Religio Orthodoxa, Baptiſato Magno Duce JAGELLONE domoque ſua Ducali ac Gente totâ, in Magnum Ducatum Lithvaniæ introducta Anno 1387. Eminebit in perpetuum ſtabilitus Lege Concilii Conſtantienſis Annô 1416. Sedis Metropolitanæ Gneſnenſis agente NICOLAO *Traba* aſſertus *Primatus*, cum ſubjectione omnium toto Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithvaniæ Eccleſiarum, ut Archi-Epiſcopali jure præſideat univerſis: quo etiam Decreto jus Coronandi Reges & Reginas Poloniæ, ſoli Archi-Epiſcopo Gneſnenſi velut totius Poloniæ PRIMATI attributum eſt, hâc ipsâ Prærogativâ in tabulas Patriarum Legum poſtea quoque relatâ. Subſiſtet in vigore uſuque perpetuo tamdiu, donec Sua Actis œcumenicorum Conciliorum, Sancitisque Maximorum Pontificum Authoritas & reverentia conſtabit, Bulla illa LEONIS *Papæ* X. Annô 1515. in pleno Lateranenſi Concilio data *Legationis Natæ* pro PRIMATIBUS Regni Poloniæ confirmatoria, quam hic per extenſum apponendam ſuaſit digna perenni famæ præconiô Laus JOANNIS LASKI *Primatis*.

Bulla Apoſtolicæ Legationis Natæ 1515.

LEO Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

PRo Excellenti præeminentia Sedis Apoſtolicæ, in qua poſt Beatum PETRUM Apoſtolorum Principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen Authoritate conſtituti

ſumus

sumus in agro irriguo militantes; Ecclesiæ novas Legationes plantare, & instituere Pontifici dignum arbitramur, per novas plantationes, præsertim in Locis Christi Fidelium, infideli vicinis, ac in parte Schismata sustinentibus, non solùm populorum devotio, sed etiam hæc ipsa nova Nominis & fidei Domini Nostri JESU Christi plantatio, Schismatumque eradicatio, ut augeatur, commodiusque succedat, & animarum salus subsequatur, ác Provinciæ & Regna illustrentur. Idque Nos eò libentiùs agimus in locis prædictis, in quibus tùm ex variis inter mortales, occasionibus, tamen imprimis interitûs Schismatum, ratio necessitatis plerumque subesse conspicitur, & ad hoc Catholicorum Regum vota tendere noscuntur, ut assistentiâ & Authoritate Legati novi, & alma Mater Ecclesia propagationis, plantationis novæ, & genus humanum propositum felicitatis æternæ præmium feliciús valeat adipisci. Attendentes igitur, quod in toto Regno Poloniæ ac Magno Ducatu Lithvaniæ una Metropolitana Gnesnensis videlicet, Principalis Ecclesia existit, cui omnes aliæ Ecclesiæ dicti Regni Metropolitico jure, ac etiam Metropolitana Leopoliensis, in Terris Russiæ ad Regnum ipsum pertinentibus, Primatiali jure sunt subjectæ: Et quodsi Venerabilis Frater Noster JOANNES *de* ŁASKO, *modernus, & pro tempore existens, Archiepiscopus Gnesnensis, Suæ Archiepiscopali Provinciæ & Ecclesiis, sibi Metropolitico, ac prædicto Primatiali jure subiectis, non solúm Metropolitico ac Primatiali, sed etiam Legationis jure præesset, & ratione Dignitatis eiusdem Primatialis, hujusmodi Legationis Officium haberet: ex hoc profectò Salubriori & diligentiori exercitio Metropoliticæ Primatialisque Jurisdictionis, & commoditati Ecclesiarum, quæ sibi Metropolitico & Primatiali jure subjiciuntur, ac illis nunc & pro tempore præsidentium Prælatorum, nec non Cleri, & Populi Civitatum, & Diœcesum earumdem, quæ in eorum*

opportunitatibus ad eundem Archiepiscopum & Legatum, ratione eorum, quæ vigore hujusmodi Legationis exercere poterit, faciliùs & commodiùs recurrere possent, & ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis, & præfati Regni, cujus Reges & Incolæ Apostolicæ Sedi devoti, & Fideles semper esse consveverunt, devotioni, ac venustati plurimum consuleretur. Considerantesque in Regno Angliæ olim, & in Germania Archiepiscopos aliquot, Legatos Natos, per Prædecessores nostros erectos fuisse; eorumdemque Prædecessorum vestigiis inhærentes, & ad magnam instantiam, quam super hoc fecit & facit, SIGISMUNDUS *dicti Regni Poloniæ Rex Illustris, debitum respectum habendo ad* DEI *honorem ac fidei Catholicæ exaltationem, prædictum* JOANNEM ŁASKO *modernum ad Nos, & Sacrum Lateranense Concilium pro dicto Regno Oratorem destinatum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Gnesnensem Legatum Natum, cum omnibus honoribus & oneribus consvetis, ita quod de cætero Suæ Archiepiscopali & prædictæ Leopoliensi Provinciis, & Ecclesiis sibi Metropolitico, & Primatiali jure subjectis, Non solùm Metropolitico & Primatiali, sed etiam Legationis jure præsit. Et ratione dignitatis Suæ Primatialis, & Legationis Officium in ipsis Provinciis habeat, Authoritate Apostolicâ & ex certa scientia Nostra facimus, & constituimus, & etiam ordinamus; sibi nihilominus concedentes, ut omnibus, & singulis, Privilegiis, libertatibus, præeminentiis, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, & gratiis, uti, & gaudere; ac quod omnia & singla, facere, & exercere, ac mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos Natos, & hujusmodi Legationis Officium habentes, quomodolibet pertinent, & quæ alii Legati Nati, præsertim vero Legatus Cantuariensis: in Provinciis Suis de jure, Privilegio, consvetudine mandare, facere & exequi possint, liberè & licitè valeat. Mandamus per præsentes Universis & singulis Suffraganeis,*

Leopo-

Leopolienſique Terrarum Ruſſiæ Archiepiſcopo & aliis in dictis Provinciis exiſtentibus, quatenus eidem Archiepiſcopo & Legato-Nato pro tempore exiſtenti, in his quæ ſibi ratione Officii Legationis, ſicut præfertur, competunt, pareant, & intendant. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis ac literis, & Privilegiis quibusvis conceſſis; illorum tenores acſi de verbo ad verbum exprimerentur præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæterisque contrariis quibuſcumq;. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Noſtræ Creationis, Conſtitutionis, Ordinationis, conceſſionis, Mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Apoſtolorum Ejus, PETRI & PAULI ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Annô Domini 1515. V. Idûs Julii, Pontificatûs Noſtri Annâ 3tio.

HIs Maximis ſummiſque PRIMATIBUS annumerandus venis PRINCEPS. Videbatur adhuc ad Inſignia ſplendoremque tam Conſpicuæ, Primæ, Principiſq; in Regno Dignitatis deeſſe veſtium exterior Apparatus, & *Eminentiſſimis* non niſi propria Coloris diſtinctio; meminimus tempora, quibus acerrimo partium Studio lite in Sanctuario excitatâ utrinque res diſceptabatur; ſed controverſiam diremit perpetuam AUGUSTI III mens Sacratiſſima, qui interceſſionem Suam ad PETRI Sedem eo nomine ſpecialiter direxit; accommodatiùs Laudi TUÆ ratus, ſi PRIMATIALIS Prærogativa etiam *Coloris* Inſignibus per TE creſceret, quam ſimul ac acciperes, Novis Ornamentis ſublimares, & Septuageſimus ſecundus in Ordi-

ne PRIMATUM Regni, Vaticani Senatûs Patrum Septuaginta numerum Purpuræ honore TIBI, Succesſoribusque decreto exhiberes. Quantus es PRINCEPS; per quem etiam Primi Patriæ Principis crescit, attolliturq; fastigum! Majestatis dignatione, Romanæ Curiæ favore, meritorum TUORUM summô suffragiô. Quantùm circa TE natura laboravit, & gratia, probavit Fortuna, TIBI Uni non cita, sed prodiga; Cujus PRIMATIALIS Purpura nunc suo Splendore major, Honoris augem TIBI perenniter succedentibus debebit ætatibus.

Communis vitiorum labes sæculum nuncupatur. Experimur quotidie in commutandis hominum mentibus aulicas valere dignitates, TIBI PRINCEPS in summo rerum fastigio posito, idem tenor modestiæ, eadem in amicos fides, in supplices pietas. Aulam TUAM ut ædem Sanctitatis, ut Innocentiæ Sacrarium, ut Majestatis Conclave intramus. Proregiam Majestatem meritis adeptus, rectegestorum gloriâ Principum Primus ac Eminentior factus, PRIMATIALI *Primique Principis* Solio privatæ fortunæ Majestatem immisces, vota mortalium è vicino accipis, obversaris omnium oculis, omnium animis, in quibus ubique regnas, & coleris Clementiæ gradibus. Tanta Tibi in omnes mansvetudo, tanta Laus Indulgentiæ. Ad TE Comitas TUA faciles præstat aditus, invitantia patent limina accessuris, obvia cuique occurrit humanitas ac impetrabilis Clementia, sed prærogativâ quâdam singulari egestas humaniùs excipitur. Aliud ex alio occurrit, nec ullam laudem TUAM claudere licet, quin in aliam incidamus. In ea venisti tempora, quando non unam alteramve familiam, sed omnes Colonorum & Agrestium turbas dispersas per agros toto Archiepiscopatu

non

non caritate, ſed inopiâ annonæ levare Tua liberalitas debuerat.

Ea cæli inclementiâ, elementorum áeriſque intemperies regnabat proximè, quæ cunctos labores hominum per rura pagoſque, non vitiavit modo, ſed penitùs corrupit. Immodicus ardor & Ignis quaſi Cælo depluus ſata torrendo decoxit univerſa. Quodſi alicubi quantacumque eorum portio ad culmum perducta videbatur, ultimam hanc mortalium ſpem, portentoſæ magnitudinis grando ita cuncuſſit contrivitque; ut nec ad falcem perveniret. Et iſtis colluctari malis, ſatis perquam ſuerat; ſed calamitatem priorem protruſit alia pejor ſubſequens, dum neſcitur quâ cœli, pelagive plagâ advolans flagellum, campis omnibus, arviſque incubuit, videlicet Ægyptiacæ cladi par Locuſtarum lues. Tot catenatarum quaſi conſpiratione miſeriarum, non inter brutas ſolummodo pecudes peſtilens pergraſſata mortalitas, ſed et homines ultimum malorum invaſit fames, frumentorumque inopia. Senſit protinùs admotum ſibi Cuſtodiæ TUÆ beneficum Numen, Incolarum tot ærumnis feſſorum penuria; quàm primùm enim TE adepti ſunt, mox imperatis à TE, collatiſque omnis generis juvaminibus, miſera illa Turba ſubditorum ità Se recreatos ſenſerunt, ut ſuam ſalutem, tanquam beneficium TUUM hilares recolant, TIBI gloriam, ſibi felicitatem Suam Tecum exortam gratulentur, gaudeantq; quod TUA unius munificentia, Egenorum omnium amplisſimum ſit Patrimonium. Sentiunt illi profectò palamque profitentur ærumnas ſuas à cælo, ærumnarum levamen à PRINCIPIS Sui Clementiâ proficiſci; imo de calamitate temporum minùs jam ſolliciti, & in adverſa alacres, eo animo ac voto ſe eſſe indicant; ut unam ſolamque adverſitatem reputent, TE orbari. Omnia illis eripiat natura, præter TE. TE

ſalvo

ſalvo, omnia ſibi ſalva & tuta arbitrabuntur. Quid ſibi de ulteriori TUO Principatu, tractu temporum polliceri, augurarique non debet Patria? Cujus ipſa primordia tot commodis, Ornamentiſque veneramur inſignita.

VIVE PRINCEPS! Cujus munificentiâ, publica egeſtas mollitur. VIVE annos! ultra etiam vota Noſtra felices ac diuturnos, & poſtquàm genus humanum diu TE mortalem habuerit; ut Majorem Imperio Terrarum Cœlo reſtituat.